tibus, fructibus, proventibus, redditibus, alijsque et generaliter universis, nihil excipiendo obtinebit et possidebit, illisque utifruetur, ad extrema vitae suae tempora. Post mortem vero praedictae Generosae Annae Dąbrowska consortis, extunc bona supradicta omnia, morte praedicti mariti sui derelicta, sine quovis impedimento et contradictione eiusdem Generosae Annae Dąmbrowska ad successores eiusdem ipsius mariti, totaliter et pleno iure devolventur. Et similiter e converso, si prius praefatam Generosam Annam Dąbrowska, consortem eiusdem Generosi Andreae Dreszermani contigerit, extunc eidem superviventi ipsi eidem Generoso Andreae Dreszermanio, bona omnia morte eiusdem Dąmbrowska coniugis suae derelicta, cum totali ipsorum dominio, et usufructu tenebit habebit, et pacifice ad extrema vitae suae tempora possidebit. Post mortem vero eiusdem Generosi Andreae Dreszer mariti sui, extunc bona eadem omnia, morte praedictae Dąmbrowska derelicta, ad successores eiusdem Dąmbrowska, sine ulla contradictione praefati Dreszer successorum, totaliter et pleno iure devolventur. Atque sic utrinque praesenti recognitione ad praemissa ordinarunt.

Krynicki Consorti tenetur.

Comparens personaliter coram Officio actisque praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Generosus Nicolaus Krynicki, sanus mente et corpore existens, a terris, districtibus, iuribus, iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo, huiusque autem Castrensis Capitanealis Premisliensis Officii iurisdictioni se cum successoribus ac bonis suis generaliter omnibus, quoad actum praesentem attinet, totaliter et plenarie incorporando atque subiiciendo, palam libere, publice ac per expressum recognovit. Quia ipse Generosae Catharinae Zaptatynska consorti suae legitimae et ipsius successoribus summam Duorum Millium pecuniae Polonicae florenorum, certi, veri, iusti et liquidi

debiti

debiti, mutuatique pecuniae tenetur atque debet. Quam Duorum Millium pecuniae Polonicae florenorum summam, se ac suos successores et singula bona sua generaliter omnia summasque pecuniarias quibusvis, nunc habitis et in posterum habendis, eidem Generosae consorti suae, inscribit et obligat, pro festo Conversionis Sancti Pauli Apostoli proxime venturo, dare, solvere, et coram Officio actisque praesentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus reponere et relinquere, repositamque et relictam nunquam ab eodem Officio non extollere, nec arrestare, aut modo quovis alio impugnare. Sub simili summae Duorum Millium florenorum pecuniae Polonicae vadio, per eundem recognoscentem Generosum Nicolaum Krynicki, sive eius successores, eidem Generosae Catharinae Zaptatynska consorti suae, ob non solutionem summae praefatae modo praescripto persolvendam, ipsiusque poenis, ad solvendum succumbendo. Pro quo quidem vadio modo praemisso succubito, ac per summa ipsa principali non soluta solvenda, citatus extunc idem recognoscens Generosus Nicolaus Krynicki, sive eius successores, ad instantiam eiusdem Generosae Catharinae Zaptatynska consortis et creditricis suae, aut ipsius successorum, ad Officium praesens Castrense Capitaneale Premisliense, extunc recessu supradicto quoad respondendum et iustitiam hinc satisfaciendum spectat, mediante, semper in primo Citationis termino tamquam peremptorie stare, parere, respondere, vadium praedictum luere, ac nihilominus iustitiam praedictam satisfacere, et quod adiudicatum fuerit debebit ac tenebitur; seque ac suos successores ad eadem omnia obligat: cum ipsum Terminum primum peremptorium, et alios omnes consequentes, causae eiusdem terminos semper peremptorios, vera infirmitate, persona maiori, minorennitate successorum, legatione intra vel extra Regnum, servitio militari, ad munimenta ad Iudicium vel aliis quibusvis iuris dilationibus et legalibus impedimentis non differendo: ad quibusvis ultra terminos praefati Castrensis Capitanealis Premisliensis Officii terminos dilationes sibi non recipiendo; nullasque motiones, appellationes, ac causae

præsentationes faciendo, ac præmissa omnia partis simplicibus vel triplicatis, evasionibus, responsionibus, fatalibus iuris, reassumendo termino, bello, conventionibusque ac aliis quibusvis iuris remediis et defensis non subterfugiendo. Hac sua parti inscriptione ad præmissa omnia mediante.

Sabbatho post Dominicam Quadragesimalem Iudica proximo Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Trigesimo Quinto.

31/III
1365

Zelenski et Iablonski roborant Intercisam.

Comparentes personaliter coram Officio Actisque præsentibus Castrensibus Capitanealibus Premisliensibus Generosi Vladislaus Zelinski ex una, et Ioannes Thomas Iablonski ex altera partibus; sani mentibus et corporibus existentes; a iuris, districtibus, iuribus, iurisdictionibusque suis quibusvis propriis et competentibus recedendo; huic autem Castrensi Capitaneali Premisliensi Officii iurisdictioni, quoad actum præsentem attinet, se cum successoribus ac bonis suis generaliter omnibus, totaliter et plenarie incorporando, atque subiiciendo, palam, libere publice ac per expressum recognoverunt, et quilibet illorum suo seorsiva singillatimque pro interesse recognovit. Quia ipsi mutuo et ad invicem una pars alteri, se ac suos successores, de et super bonis suis generaliter omnibus, summisque pecuniarum quibusvis habitis et habendis inscribunt et obligant, Intercisam certam inter se recognoscentes, occasione quarundam rerum et conditionum ibidem expressarum, de actu et data illius hic Premisliæ Feria Quarta post Dominicam Quadragesimalem Oculi, proxime præterita præsenti anno præsenti confectam, suisque recognoscentium manibus subscriptam, in omnibus et singulis eiusdem Intercisæ conditionibus, punctis, clausulis, articulis, ligamentis, et nexibus generaliter universis, tam in toto quam in quavis minima parte, toties quoties opus fuerit, firmiter tenere, complere, exequi, ac inviolabiliter observare, omnibusque et singulis eius

ipsius

ipsius Intercisæ sub contentis, in toto et in parte satisfacere; intercisam prædictam ad inscriptionem præsentem, et inscriptionem præsentem, ad prædictam Intercisam vicissim et in toto referendo. Idque sub vadio summæ Mille florenorum monetæ et numeri Polonicalis, per partem unam aut eius successores, parti alteri et eius successoribus, ob præmissorum omnium et singulorum tam in toto quam in parte, toties quoties opus fuerit non adimpletionem, ad solvendum succumbendo. Pro quo quidem vadio, ut præfertur succumbito, ac re aliqua ex præmissis non completa complenda, citata eadem pars ex præmissis alterutra præmissa non tenens, aut eius successores, ad instantiam partis, eandem præmissa alterutrius, præmissa tenentis, aut eius successorum; ad Officium præsens Castrense Capitaneale Premisliense; ex mero Iure Officii eiusdem ex vi superscriptæ recessus, pro competentia: quibus, semper in primo citationis termino tanquam peremptorio stare, parere, respondere, vadium praetactum luere, et inscriptionem nihilominus præsentem in toto satisfacere, uti adiudicatum parti debebit ac tenebitur; seque ac suos successores ad eadem omnia obligat: cum ipsum termini non primum peremptorium, et alios omnes consequenter causæ eiusdem terminos semper peremptorios, vera infirmitate, pro maiori, minorennitate successorum, legatione intra vel extra Regnum, servitio militari, ad muniendam ad Exercitum, vel aliis quibusvis dilationibus et legalibus impedimentis non differendo: ad quibuscum ultra primos eiusdem Castrensis Premisliensis Officii terminos, dilatione sibi non recipiendo: nullasque moras, appellationes ac earum præsentationes faciendo; præmissaque omnia partis simplicibus vel triplicatis, evasionibus, responsionibus, fatalibus iuris, reassumendo termino, bello, conventionibusque, ac aliis quibusvis iuris remediis et defensis non subterfugiendo. Hac sua parti inscriptione ad præmissa omnia mediante.